Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia latina, Fragment - Cod. Karlsruhe 1421

[S.l.], [10. Jh.]

urn:nbn:de:bsz:31-33450

Visual Library

K 1421

[...] meditabitur · et in sensu cogitabit circumspectionem dei · qui excogitat vias illius in suo corde · et in absconditis illius intellegens · vadens post illum quasi investigator · et in viis illius consistens · qui respicit per fenestras illius · et in ianuas illius audiens · qui requiescit iuxta domum illius · et in parietibus illius figens palum · statuet casulam suam ad manus illius · Et requiescent in casula illius bona per aevum · Statuet filios suos sub tegmine illius · et sub ramis eius morabitur · et in gloria eius requiescet · Qui timet deum faciet illud · et qui continens est iustitiae · adprehendet illam · Et obviabit illi quasi mater honorificata · et quasi mulier a virginitate suscipiet illum · Cibabit illum pane vitae et intellectus · et aqua sapientiae salutaris potabit illum · Et firmabitur in illo et non flectetur · Et continebit illum · et non confundetur · Et exaltabit illum apud proximos suos · Et in medio ecclesiae aperiet os illius · Et implebit illum spiritu sapientiae · et intellectus · Et stola gloriae vestiet illum · Iocunditatem · et exultationem thesaurizabit illum · Homines stulti non adprehendent illum · Et homines sensati obviabunt illi · Homines stulti non videbunt illam · Longe enim abest a superbia et dolo · Viri mendaces non erunt illius memores · et viri veraces invenientur in illa · et successum habebunt usque ad inspectionem dei · Non est speciosa laus in ore peccatoris quia a deo profecta est sapientia · sapientiae enim dei adstabit laus · et in ore fideli abundabit · Et dominator dabit eam illi · Non dixeris per deum abest · quae enim odit ne feceris · Non dicas ille me inplanavit · Non enim necessarii sunt illi homines impii · Omne execramentum erroris odit dominus et non erit amabile timentibus illum

XLII Deus ab initio constituit hominem · et reliquit illum in manu consilii sui · adiecit mandata et praecepta sua · Si volueris mandata conservare conservabunt te · et in perpetuum fidem placitam facere · Apposuit tibi aquam et ignem · Ad quod volueris porrige manum tuam · Ante hominem vita et mors bonum et malum quod placuerit ei dabitur illi · quoniam multa sapientia dei et fortis in potentia · Videns omnes sine intermissione · Oculi domini ad timentes eum · et ipse agnoscit omnem operam hominis · Nemini mandavit impie agere et nemini dedit spacium peccandi · Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium

DE FILIIS IMPIIS

XLIIII Ne iocunderis in filiis impiis si multiplicentur · non oblecteris super ipsos si non est timor dei cum illis · Non credas vitae illorum et ne respexeris in labores illorum · Melior est enim unus timens deum quam mille filii impii · et utile est mori sine filiis quam relinquere filios impios · Ab uno sensato inhabitabitur patria · et tribus impiis deseretur · Multa alia vidit oculus meus · et fortiora horum audivit auris mea · In synagoga peccantium exardebit ignis · et in gente incredibili exardescet ira · Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes qui destructi sunt confidentes suae virtuti · et non pepercit peregrinationi illorum · execratus est illos prae superbia illorum · Non misertus est illis gentem totam perdens et extollentem se in suis peccatis · et sicut sexcenta milia peditum qui congregati sunt in duritia cordis sui · et si unus fuisset cervicatus mirum si fuisset inmunis · Misericordia enim et ira est cum illo potens exoratio et effundens iram · secundum misericordiam suam sic correptio illius hominis secundum opera sua iudicat · Non effugiet in rapina peccator et non retardabit sufferentia misericordiam facientis · Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum · et secundum intellectum peregrinationis ipsius ·

XLIIII Non dicas a deo abscondar · et ex summo quis mei memorabitur · In populo magno non agnoscar · quae est enim anima mea in tam inmensa creatura · Ecce caelum et caeli caelorum · Abyssus et universa terra · et quae in eis sunt in conspectu illius commovebuntur · Montes simul et colles et fundamenta terrae · Et cum conspexerit illa deus tremore concutientur · et in omnibus his insensatum est cor · et omne cor intellegitur ab illo · et vias illius quis intellegit · et procella quam nec oculus videbit hominis · Nam plurima opera illius sunt in absconsis · sed opera iustitiae eius quis enuntiabit aut quis sustinebit · Longe enim est testamentum a quibusdam · et interrogatio hominum in consummatione est · Qui minoratur corde cogitat inania · et vir inprudens et errans cogitat stulta

XLVI Audi me fili · disce disciplinam sensus · et in verbis meis attende in corde tuo · et dicam in aequitate disciplinam · et scrutabor enarrare sapientiam · et in verbis meis attende in corde tuo · et dico in aequitate spiritus virtutis quas posuit deus in opera sua ab initio · et in veritate enuntio scientiam eius · In iudicio dei opera ipsius ab initio · et ab institutione ipsorum distinxit partes illorum · et initia ipsorum in gentibus suis

Ornavit in aeternum opera illorum · Nec esurierunt · nec laboraverunt · et non destiterunt ab operibus suis · Unusquisque proximum sibi non angustabit usque in aeternum · Noli esse incredibilis verbo illius · Post haec deus in terram respexit · et implevit illam bonis suis · Anima omnis vitalis denuntiavit ante faciem ipsius · et ipsa iterum reversio illorum ·

XLVII Deus creavit de terra hominem · et secundum imaginem suam fecit illum · Et iterum convertit illum in ipsam · et secundum se vestivit illum virtute · Numerum dierum et tempus dedit illi · et dedit illi potestatem eorum quae sunt super terram · posuit timorem illius super omnem carnem · et dominatus est bestiarum et volatilium · Creavit ex ipso adiutorium simile ipsi · Consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi · Et disciplina intellectus replevit illos · Creavit illis scientiam spiritus sensu implevit cor illorum

Et mala et bona ostendit illis · posuit oculum suum super corda ipsorum · Ostendere illis magnalia operum suorum · et nomen sanctificationis collaudent · et gloriari in mirabilibus illius ut magnalia enarrent operum eius · Addidit illis disciplinam

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

et legem vitae hereditavit illos. Testamentum aeternum constitu-
it cum illis et iustitiam et iudicia sua ostendit illis. Et magna-
lia honoris eius vidit oculus illorum. Et honorem vocis audierunt aures
illorum. Et dixit illis. Attendite ab omni iniquo. Et man-
davit illis unicuique de proximo. Viae illorum coram ipso sunt semper
Non sunt absconsae ab oculis ipsorum. In unamquamque gentem praeposuit
rectorem. Et pars dei Israhel facta est manifesta. Et omnia opera illorum
velut sol in conspectu dei. Et oculi eius sine intermissione in-
spicientes in viis eorum. Non sunt absconsa testamenta per ini-
quitatem eorum. Et omnes iniquitates eorum in conspectu dei. Elemosy-
na viri quasi sacculus cum ipso. Et gratiam hominis quasi pupillam
conservabit et postea resurget et retribuet illis retributionem
unicuique in caput ipsorum. Et convertet in inferiores partes
terrae. Paenitentibus autem dedit viam iustitiae. Et confirmavit defi-
cientes sustinere. Et destinavit illis sortem veritatis DE CO
Converte ad dominum et relinque peccata tua VERSIONE
precare ante faciem domini et minue offendicula. Rever-
tere ad dominum et averte ab iniustitia tua et nimis odito ex-
secrationem. Et cognosce iustitias et iudicia dei. Et sta in sor-
te propositionis et orationis altissimi dei. In partes vade saeculi
sancti cum vivis et dantibus confessionem deo.
IIII Non demoreris in errore impiorum. Ante mortem confitere.
A mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis vivens. Vivus et
sanus confiteberis et laudabis deum. Et gloriaberis in miseratio-
nibus illius. Quam magna misericordia dei et propitiatio illius
convertentibus ad se. Nec enim omnia possunt esse in hominibus
quoniam non est immortalis filius hominis. Et in vanitate malitiae
placuerunt. Quid lucidius sole? Et hic deficiet. Aut quid ne-
quius quam quod excogitavit caro et sanguis. Et hoc arguetur. Vir-
tutem altitudinis caeli ipse conspicit et omnes homines terra
et cinis. Qui vivit in aeternum omnia creavit simul. Deus solus iusti-
ficabitur et manet invictus rex in aeternum. Quis sufficit enar-
rare opera illius? Quis enim investigabit magnalia illius?
Virtutem autem magnitudinis eius quis enuntiabit? Et quis adici-
et enarrare misericordiam eius? Non est minuere neque adicere nec est
invenire magnalia dei. Cum consummaverit homo, tunc incipit.
Et cum quieverit aporiabitur. Quid est homo et quae gratia illius? Et
quid bonum aut quid nequam illius? Numerus dierum hominum
ut multum centum anni. Quasi guttae aquae maris deputa-
ti sunt. Et sicut calculus harenae sic exigui anni in die
aevi. Propter hoc patiens est deus in illis et effundit super eos mise-
ricordiam suam. Vidit praesumptionem cordis illorum quoniam mala est.
Et cognovit subversionem illorum quoniam nequam est. Ideo adimple-
vit propitiationem suam in illis et ostendit illis viam aequitatis.
Miseratio hominis circa proximum suum. Misericordia autem dei super
omnem carnem. Qui misericordiam habet et docet et erudit quasi
pastor gregem suum miseretur excipientis doctrinam mise-
rationis et qui festinat in iudiciis eius. DE ORATIONE.

XLVIIII Fili in bonis non des querelam. Et in omni dato. Non des tristitiam
verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum me-
lius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum? Et utraque cum ho-
mine iustificato. Stultus acriter improperabit. Et datus indisciplina-
ti tabescere facit oculos. Ante iudicium para iustitiam tibi. Et an-
tequam loquaris disce. Ante languorem adhibe medicinam. Et ante
iudicium interroga te ipsum. Et in conspectu dei invenies propitiationem.
Ante languorem humilia te. Et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam.
L Non impediaris orare semper. Et ne verearis usque ad mortem iustifica-
ri. Quoniam merces dei manet in aeternum. Ante orationem praepara
animam tuam. Et noli esse quasi homo qui temptat deum. Memento irae
in die consummationis. Et tempus retributionis in conversatione fa-
ciei. Memento paupertatis in tempore habundantiae. Et necessitatem
paupertatis in die divitiarum. A mane usque ad vesperum immu-
tabitur tempus. Et haec omnia citata in oculis dei. Homo sapiens
in omnibus metuet. Et in diebus delictorum attendet ab inertia.
Omnis astutus agnoscit sapientiam. Et invenienti eam dabit confessio-
nem. Sensati in verbis et ipsi sapienter egerunt. Et intellexerunt
veritatem et iustitiam. Et impleverunt proverbia et iudicia. DE CO
LI Post concupiscentias tuas non eas. Et a vo TINETIA ANIMAE
luntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias eius
faciet te in gaudium inimicis tuis. Ne oblecteris in turbis nec
in modicis. Adsidua est enim commissio illorum. Ne fueris medio-
cris in contentione ex fenore. Et non est tibi nihil in sacculo. Eris
enim invidus vitae tuae. Operarius ebriosus non locupletabitur.
Et qui spernit modica paulatim decidit. Vinum et mulieres aposta-
tare faciunt sapientes. Et arguent sensatos. Et qui se iungit
fornicariis erit nequam. Putredo et vermes hereditabunt
illum et extolletur in exemplum maius et tolletur de numero
anima eius. Qui credit cito levis corde est et minorabitur.
Et qui delinquit in animam suam insuper habebitur. Qui gaudet iniqui-
tate denotabitur. Et qui odit loquacitatem extinguit malitiam. Qui
peccat in animam suam paenitebit. Et qui iucundatur malitia deno-
tabitur. Ne iteres verbum nequam et durum et non minoraberis.
LII Amico et inimico noli narrare sensum tuum. Et si est tibi delictum
noli denudare. Audiet enim te et custodiet te et quasi defen-
dens peccatum odiet te. Et sic aderit tibi semper. Audisti verbum
adversus proximum. Commoriatur in te fidens quoniam non te disrum-
pet. A facie verbi parturit fatuus tamquam gemitus partus
infantis. Sagitta infixa femori carnis sic verbum in corde
stulti. Corripe amicum ne forte non intellexerit et dicat non
fecit. Aut si fecerit ne iterum addat facere. Corripe proximum
ne forte non dixerit. Et si dixerit ne forte iteret. Corri-
pe amicum. Saepe enim fit commissio. Et non omni verbo credas. Est
qui labitur lingua sua sed non ex animo. Quis est enim qui non
deliquerit in lingua sua.
LIII Corripe proximum antequam comineris. Et da locum timori
altissimi. Quoniam omnis sapientia timor dei et in illa timore

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg